

baptismo, dici posset cæremonia judaica, quia Judæi lavacris variisque baptismatibus utebantur. Idem Græci celebrant semper Pascha luna 14 in quacumque die hebdomadæ occurrat, nulla habita ratione diei dominicæ, in quo magis videntur accedere ad Judaicos ritus; et tamen simpliciter non judaizant, quia non faciunt ex præcepto legis veteris; ergo nihil est, quod nobis objiciant. Cur autem Ecclesia Latina hanc consuetudinem elegerit, jam dictum est: et fortasse ad vitandum errorem Græcorum, quando nulla alia causa superesset, oportuisset præcipere Latinis sacerdotibus, ut prædictam consuetudinem observarent; sicut refert D. Thom., dist. 11, quæst. 2, art. 2, quæst. 3, Leonem P. ordinasse aliquando, ut Latina Ecclesia in fermentato consecraret ad evitandum errorem Ebionitarum, qui legalia servanda esse dicebant; et idem dicunt alii Scholastici; non tamen designant, quis Leo hic fuerit, neque ego in Historiis invenio; indicant tamen fuisse post Innocentium III, post quem solum fuerit Leo IX qui in sua epistola defendit consuetudinem conficiendi in azymo, quam dicit per 120 annos in Ecclesia durasse, et Leo X cujus memoria recens est, et satis constat hoc non fecisse. De aliis opinionibus nihil est, quod dicamus, nam, probando veritatem, earum fundamenta dissolvimus.

15. *Dubium.* — *Responsio.* — Unum vero superest dubium, an scilicet liceat Latino sacerdoti in Ecclesia Latina consecrare in fermentato propter aliquam occurrentem necessitatem, verbi gratia, ne proximus sine viatico decedat, vel ne totus populus diu sacrificio privetur. Respondetur, nulla ratione esse talem licentiam concedendam, quia licet præceptum, v. gr., communicandi in articulo mortis, sit de jure divino, et præceptum conficiendi in azymo sit humanum, tamen illud primum præceptum affirmativum est, et ideo non obligat pro semper, sed quando commode, et cum debitis circumstantiis fieri potest, et ideo posito alio præcepto humano præscribente debitum conficiendi modum, cessare potest obligatio alterius præcepti pro aliquo temporis articulo, pro quo modus ille non potest observari, quia expedit, ut in hoc sacramento conficiendo summa reverentia servetur, et ideo oportet, ut universalis Ecclesiæ consuetudo non facile violetur, ne aperiatur via ad tractandum indigne hoc sacramentum, et con-

temnendi ecclesiasticas cæremonias et ritus, sicut censent fere omnes de consecratione sine vestibus sacris, et similibus, quæ non continent graviores ritus, quam sit hic, de quo agimus; quæ omnia eo veriora sunt, quo certum est, hoc sacramentum non esse de necessitate salutis, sicut baptismus vel pœnitentia. Hic vero casus non potest moraliter accidere inter Græcos, quia panis fermentatus facilius ubique invenitur, quam azymus; si tamen fingatur occurrere, securius esset eandem regulam sequi, quanquam non esset tam certa obligatio, tum quia majus periculum est irreverentiæ, superstitionis et scandali, in discedendo propter privatas necessitates, vel rationes, a consuetudine Ecclesiæ capitalis, quam in discedendo a consuetudine alterius partis, et præsertim sequendo consuetudinem capituli; tum etiam quia illa obligatio Græcorum non est tam certa, neque tanta ac tam solida auctoritate firmata.

ARTICULUS V.

Utrum vinum vitis sit propria materia hujus sacramenti (4, dist. 11, quæst. 2, art. 3, quæst. 1. Et 1 Cor. 11, lect. 7, princ.).

1. *Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod non sit propria materia hujus sacramenti vinum vitis. Sicut enim aqua est materia baptismi, ita vinum est materia hujus sacramenti. Sed in qualibet aqua potest fieri baptismus; ergo in quolibet vino (puta malorum granatorum, vel mororum, aut hujusmodi) potest confici hoc sacramentum, præsertim cum in quibusdam terris vites non crescant.*

2. *Præterea, acetum est quedam species vini, quod de vite sumitur, ut Isidorus dicit (innuitur lib. 20. Etym., cap. 3, circa med.). Sed de aceto non potest confici hoc sacramentum. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.*

3. *Præterea, sicut de vite sumitur vinum depuratum, ita etiam agresta et mustum. Sed de his non videtur confici hoc sacramentum secundum illud quod in sexta Synodo legitur (cap. 28, et habetur de Cons., dist. 2): Dicitur, quod in quibusdam Ecclesiis sacerdotes sacrificio oblationis jungant uvas, et sic simul utraque populo dispensent. Præcipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat. Et Julius Papa reprehendit quosdam (in decr. 7, a medio illius, et est decr. 7 inter ejus decr. 10, quæ sunt ab aliis separata),*

qui expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerunt. Ergo videtur, quod vinum vitis non sit propria materia hujus sacramenti.

Sed contra est, quod sicut Dominus se comparavit grano frumenti, ita etiam comparavit se viti, dicens, Joan. 15: Ego sum vitis vera. Sed solum panis de frumento est materia hujus sacramenti, ut dictum est (art. 3 hujus q.). Ergo solum vinum de vite est propria materia hujus sacramenti.

Respondeo dicendum, quod de solo vino vitis potest confici hoc sacramentum. Primo quidem propter institutionem Christi, qui in vino vitis hoc sacramentum instituit, ut patet ex eo, quod ipse dicit Matthæi 26, circa institutionem hujus sacramenti: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Secundo, quia sicut dictum est (art. 3 hujus q.), ad materiam sacramentorum assumitur id, quod proprie et communiter habet talem speciem. Proprie autem vinum dicitur, quod de vite sumitur; alii vero liquores vinum dicuntur, secundum quamdam similitudinem ad vinum vitis.

Tertio, quia vinum vitis magis competit ad effectum hujus sacramenti, qui est spiritualis letitia, quia scriptum est, quod vinum letificat cor hominis.

Ad 1 ergo dicendum, quod illi liquores non dicuntur proprie vinum, sed secundum quamdam similitudinem. Potest autem verum vinum ad terras illas deferri, in quibus vites non crescant, quantum sufficit ad hoc sacramentum.

Ad 2, dicendum, quod vinum fit acetum per corruptionem, unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8 Met. (text. 14, tom. 3). Et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc sacramentum, ita de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens, ut prius dictum est (art. 3 hujus quæst., ad 4 argum.).

Ad 3, dicendum, quod agresta est in via generationis, et ideo nondum habet speciem vini, et propter hoc de ea non potest confici hoc sacramentum. Mustum autem jam habet speciem vini, nam ejus dulcedo attestatur digestionem, quæ est completio a naturali calore, ut dicitur in 4 Meteor. (cap. 3, parum a princ.), et ideo de musto potest confici hoc sacramentum. Non tamen debent uva integræ huic sacramento misceri, quia jam esset ibi aliquid præter vinum. Prohibetur etiam, ne mustum statim expressum de uva, in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem

musti; potest tamen in necessitate fieri; dicitur enim ab eodem Julio Papa (loc. cit. in arg., et habetur de Cons., d. 2, cap. Cum omne): Si necesse fuerit, botrus in calice comprimitur.

COMMENTARIUS.

In corpore articuli affirmat D. Thom., et optimis, et clarissimis rationibus ostendit, vinum vitis esse materiam necessariam hujus sacramenti. In solutionibus vero argumentorum, discernit ac separat aliquos liquores, qui materia esse non possunt, quia vel non sunt ex uvis expressis, sed sunt aliarum rerum succi, vel certe si sunt ex uvis, sunt jam corrupti, ut acetum, vel nondum sunt maturi, ut agresta. De musto vero non satis aperte loquitur D. Thom. Dicit enim, si expressum sit ex uvis, esse sufficientem materiam; quamdiu autem intra uvam est, solum dicit non debere consecrari, quia jam ibi esset aliquid præter vinum. In qua ratione et modo dicendi videtur indicare D. Thom., illam materiam non esse omnino ineptam, atque adeo consecrationem in ea factam, quoad eam partem, esse validam, quamvis debito modo non fiat, et ita videtur intellexisse Richard., dist. 11, art. 4, quæst. 2, ad 3. Sed non est hæc vera expositio, ut bene hic Cajetanus sentit; sensus ergo est, non debere, id est, non posse in uvis confici, quia nondum est vinum, ut in disputatione latius dicitur.

ARTICULUS VI.

Utrum aqua sit vino permiscenda (4, dist. 11, quæst. 2, art. 4, quæst. 1. Et 1 Cor. 11, lect. 6).

1. *Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod aqua non sit vino permiscenda. Sacrificium enim Christi figuratum fuit per oblationem Melchisedech, qui Gen. 14, non legitur obtulisse, nisi panem et vinum. Ergo videtur, quod in hoc sacramento non debeat adjungi aqua.*

2. *Præterea, diversorum sacramentorum diversæ sunt materie. Sed aqua est materia baptismi. Ergo non debet assumi ad materiam hujus sacramenti.*

3. *Præterea, panis et vinum sunt materia hujus sacramenti. Sed panis nihil adjungitur. Ergo nec vino debet aliquid adjungi.*

Sed contra est, quod Alexander Papa scribit (in epist. ad omnes fideles, a med. illius, tom. 1 Concil.): In sacramentorum oblationibus, quæ inter missarum solemnium Domino

offeruntur, panis tantum et vinum aqua permistum in sacrificium offerantur.

Respondeo dicendum, quod vino, quod offertur in hoc sacramento, debet aqua misceri. Primo quidem propter institutionem. Probabiliter enim creditur, quod Dominus hoc sacramentum instituerit in vino aqua permisto, secundum morem illius terræ. Unde et Proverb. 9, dicitur: *Bibite vinum quod miscui vobis. Secundo, quia hoc convenit representationi Dominicæ passionis. Unde dicit Alexander P. (in epist. ad omnes orthod., a med. illius, tom. 1 Concil.): Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permistum, quia utrumque ex latere ejus in passione sua profluxisse legitur. Tertio, quia hoc convenit ad significandum effectum hujus sacramenti, qui est unio populi christiani ad Christum, quia, ut Julius P. dicit (habetur de Consecr., dist. 2, cap. Cum omne crimen, circa medium), videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Quarto, quia hoc competit ad ultimum effectum hujus sacramenti, qui est introitus ad vitam æternam. Unde Ambrosius dicit in lib. 5 de Sacram. (cap. 1, a med., tom. 4): *Redundat aqua in calicem, et salit in vitam æternam.**

Ad 1 ergo dicendum, quod sicut Ambros. dicit ibidem (eodem lib. 5, cap. 11, tom. 4), sicut sacrificium Christi significatum est per oblationem Melchisedech, ita etiam significatum est per aquam, quæ in eremo fluxit de petra, secundum illud 1 Cor. 10: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.*

Ad 2, dicendum, quod aqua assumitur in baptismo ad usum ablutionis. In hoc autem sacramento assumitur ad usum refectionis, secundum illud Psalm. 22: *Super aquam refectionis educavit me.*

Ad 3, dicendum, quod panis ex aqua et farina conficitur. Et ideo cum vino aqua miscetur, neutrum sine aqua existit.

ARTICULUS VII.

Utrum permistio aquæ sit de necessitate hujus sacramenti (infra, q. 83, art. 6, ad 4, et 6; et 4, d. 11, quæst. 2, art. 4, quæst. 2 et 3; et 1 Cor. 11, lect. 6).

1. Ad septimum sic proceditur. Videtur, quod permistio aquæ sit de necessitate hujus sacramenti. Dicit enim Cyprianus ad Cæcilium (lib. 2, ep. 3, inter finem et medium. Innuitur de Consecr., dist. 2, cap. 7): *Sic calix Domini*

non est aqua sola et vinum solum, nisi utrumque misceatur, quomodo nec Corpus Domini potest esse farina sola, nisi utrumque, scilicet, farina et aqua, fuerit adunatum. Sed admistio aquæ ad farinam est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione admistio aquæ ad vinum.

2. Præterea, in passione Domini, cujus sacramentum est memoriale, sicut de latere ejus exivit sanguis, ita et aqua. Sed vinum, quod est sacramentum sanguinis, est de necessitate hujus sacramenti. Ergo pari ratione et aqua.

3. Præterea, si aqua non esset de necessitate hujus sacramenti, non referret, quæcumque aqua huic sacramento apponeretur, et ita posset apponi aqua rosacea, vel quæcumque alia hujusmodi aqua, quod non habet usus Ecclesiæ. Aqua ergo est de necessitate hujus sacramenti.

Sed contra est, quod Cyprian. dicit: *Si aliquis de antecessoribus nostris vel ignoranter, vel simpliciter non observavit, ut scilicet aqua vino misceretur in sacramento, potest simplicitati ejus venia concedi. Quod non esset, si aqua esset de necessitate sacramenti, sicut est vinum, vel panis. Non ergo aquæ admistio est de necessitate sacramenti.*

Respondeo dicendum, quod iudicium de signo sumendum est ex eo, quod significatur. Appositio autem aquæ ad vinum refertur ad significandam participationem hujus sacramenti a fidelibus, quantum ad hoc, quod per aquam mistam vino significatur populus adunatus Christo, ut dictum est (art. præced.). Sed et hoc ipsum, quod de latere Christi pendens in cruce aqua profluxit, ad idem refertur, quia per aquam significatur ablutio peccatorum, quæ fiebat per passionem Christi. Dictum est autem supra (q. 73, art. 1, ad 3), quod hoc sacramentum perficitur in consecratione materiæ; usus autem fidelium non est de necessitate sacramenti, sed est aliquid consequens ad sacramentum. Et ideo consequens est, quod appositio aquæ non sit de necessitate sacramenti.

Ad 1 ergo dicendum, quod verbum illud Cypriani est intelligendum, secundum quod dicitur illud esse non posse, quod convenienter esse non potest. Et sic similitudo illa attenditur quantum ad id, quod debet fieri, non autem quantum ad necessitatem, nam aqua est de essentia panis, non autem de essentia vini.

Ad 2, dicendum, quod effusio sanguinis directe pertinebat ad ipsam Christi passionem;

est enim naturale corpori humano vulnerato, quod ex eo profluat sanguis. Sed effusio aquæ non fuit de necessitate passionis, sed ad demonstrandum effectum passionis, qui est ablutio a peccatis et refrigerium contra ardorem concupiscentiæ. Et ideo aqua non seorsum offertur a vino in sacramento, sicut vinum offertur seorsum a pane. Sed aqua offertur, vino permista, ut ostendatur, quod vinum per se pertinet ad hoc sacramentum, tanquam de ejus necessitate existens, aqua autem secundum quod adjungitur vino.

Ad 3, dicendum, quod, quia admistio aquæ ad vinum non est de necessitate sacramenti, non refert, quantum ad sacramenti necessitatem, quæcumque aqua misceatur vino sive naturalis, sive artificialis, ut rosacea. Quamvis, quantum ad convenientiam sacramenti, peccet, qui aliam aquam miscet, nisi naturalem et veram, quia de latere Christi pendens in cruce aqua vera profluxit, non humor phlegmaticus, ut quidam dixerunt, ad ostendendum, quod corpus Christi erat vere compositum ex quatuor elementis, sicut per sanguinem fluentem ostendebatur, quod erat compositum ex quatuor humoribus, ut Innocentius III dicit in quadam decretal. (lib. 3, tit. 41, c. 8). Quia vero admistio aquæ ad farinam, est de necessitate hujus sacramenti, utpote constituens substantiam panis, si farine admisceretur aqua rosacea, vel quicumque alius liquor, quam vera aqua, non posset ex eo confici sacramentum, quia non esset verus panis.

ARTICULUS VIII.

Utrum aqua debeat in magna quantitate apponi 4, d. 11, quæst. 2, art. 4, quæst. 4; et 1 Cor. 11, lect. 6, col. 5).

1. Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod oporteat aquam in magna quantitate apponi. Sicut enim sanguis de latere Christi sensibiliter fluxit, ita et aqua; unde dicitur Joan. 19: *Qui vidit testimonium perhibuit. Sed aqua non posset sensibiliter esse in hoc sacramento, nisi in magna quantitate poneretur; ergo videtur, quod aqua debet apponi in magna quantitate.*

2. Præterea, parva aqua multo vino admista corrumpitur. Quod autem corruptum est, jam non est. Ergo idem est apponere parum de aqua in hoc sacramento, et nihil apponere. Sed non licet nihil apponere. Ergo non licet parum apponere.

xx.

3. Præterea, si sufficeret parum apponere, per consequens esset sufficiens, quod gutta aquæ in totum dolium projiceretur. Sed hoc videtur ridiculum. Ergo non sufficit, quod parva quantitas apponatur.

Sed contra est, quod extra de Celebratione Missarum dicitur (in decret., lib. 3, tit. 41, cap. Perniciosus): *Perniciosus in tuis partibus inolevit abusus, videlicet, quod in majori quantitate de aqua in sacrificio ponitur, quam de vino, cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in ipso sit de vino, quam de aqua ponendum.*

Respondeo dicendum, quod circa aquam adjunctam vino, sicut Innocentius III dicit in quadam decretal. (de Celebr. missar., c. Cum Marthæ) triplex est opinio. Quidam enim dicunt, quod aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in sacramento altaris, post consecrationem, nihil est, nisi corpus et sanguis Christi; sicut enim Ambros. dicit in lib. de Officiis (de His qui mysteriis initiantur, cap. 9, a med., tom. 4, et habetur de Consecr., dist. 2, cap. 40): *Ante benedictionem alia species nominatur, post benedictionem corpus Christi significatur; alioquin non totum adoraretur veneratione patriæ. Et ideo alii dixerunt, quod, sicut vinum convertitur in sanguinem, ita aqua convertitur in aquam, quæ de latere Christi fluxit. Sed nec hoc rationabiliter dici potest, quia secundum hoc, aqua seorsum consecraretur a vino, sicut vinum a pane. Et ideo sicut ipse dicit, aliorum opinio probabilior est, qui dicunt, aquam converti in vinum, et vinum in sanguinem. Hoc autem fieri non posset, nisi adeo modicum apponeretur de aqua quod converteretur in vinum. Et ideo semper tutius est parum de aqua apponere, et præcipue si vinum sit debile, quia si tanta feret appositio aquæ, ut solveretur species vini, non posset perfici sacramentum. Unde Julius Papa (scribendo Episc. per Ægyptum, et habetur de Consecr., dist. 2), reprehendit quosdam, qui pannum lineum musto intinctum per totum annum servant, et in tempore sacrificii, aqua partem ejus lavant, et sic offerunt.*

Ad 1 ergo dicendum, quod sufficit ad sacramenti hujus significationem, quod sentiatur aqua cum apponitur vino, non autem oportet, quod sit sensibilis post mitionem.

Ad 2, dicendum, quod si aqua omnino non apponeretur, totaliter excluderetur significatio. Sed cum aqua in vinum convertitur, significatur, quod populus Christo incorporatur.

52

Ad 3, dicendum, quod, si aqua apponeretur dolio, non sufficeret ad significationem hujus sacramenti. Sed oportet aquam vino apponi circa ipsam celebrationem sacramenti.

De materia istorum articulorum disputabimus statim; textus enim D. Thomæ non indiget alio commentario.

DISPUTATIO XLV.

DE MATERIA CALICIS, SEU REMOTA, EX QUA
CONFICITUR SANGUIS CHRISTI.

Vinum vitis est necessaria materia hujus sacramenti. — Vinum esse alteram partem materiae, ex qua hoc sacramentum confici debet, in superioribus ostensum est; nunc solum su-
rest, ut de qualitate, seu specie ejus, et de puritate seu mitione necessaria dicamus. Quoniam vero necessitas præcepti, quæ ad hunc usum materiae pertinet, valde est conjuncta cum necessitate sacramenti, ideo de utraque dicemus, sicut in præcedentibus fecimus.

SECTIO I.

Utrum vinum vitis, seu ex uvis expressum, sit necessaria materia hujus sacramenti.

1. Omissis erroribus, quos in superioribus satis tetigimus, primum omnium certum est, materiam hujus sacramenti, sine qua sanguis confici non potest, esse vinum vitis. In hanc conclusionem nulla est controversia et colligitur ex facto Christi, adjuncta Ecclesiæ traditione. Quod enim Christus in hoc vino consecraverit, communis sensus et traditio est et indicatur in illo verbo: *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis*; quamvis enim diversas habeat expositiones, tamen ex illo satis colligitur, vinum illius cœnæ fuisse vitis; addidit autem Christus: *Hoc facite*. Unde in Concil. Aurelian. IV, cap. 4, dicitur non esse in calice offerendum aliud, quam quod in mandatis sacratissimis Christus tradidit, quod explicans, dicit esse illud, quod ex fructu vineæ nascitur. Unde in Conc. Florent. expresse definitur, materiam esse vinum vitis, et in canone 3 Apostolorum, prohibetur offerri sicera, vel aliquid hujusmodi loco vini; et in Concilio Altisiod., cap. 9, non mustum, neque ullum aliud poculum, extra vinum. Et ratio reddi potest, quia solum hoc est simpliciter vinum, ut patet ex communi usu omnium, præsertim Scripturæ, Gen., cap. 9: *Noe bibit vinum, etc.* Lucae septimo: *Venit filius homi-*

nis, et dicunt: Ecce homo vorax, et potator vini. Ponderat enim Cyprianus, epist. 63, specialiter ea loca, in quibus adumbratur hoc sacramentum, ut de oblatione panis et vini Melchisedech, Gen. 14, ubi nomine vini, sine dubio, intelligitur vinum vitis. Ultimo sunt congruentiæ. Prima quia hoc vinum, eo quod sit calidum et humidum, et aptum ad nutriendum, et augendum sanguinem, est etiam aptum ad significandum sanguinem Christi, qui propterea nomine vini interdum significatur in Scriptura, Gen. 49: *Lavabit in vino stolam suam, et in sanguine uvæ pallium suum*; et Esaia 63: *Quare ergo rubrum est vestimentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in toro ulari?* Secunda, quia, ut inquit Clem. Alex., 2 Pædag., c. 2, vinum est simul nutrimentum et medicamentum, et lætificat cor hominis, et ideo aptissimum est ad effectum hujus sacramenti significandum.

2. Objectio. — Responsio. — Dices: hoc vinum potest esse multiplex et specie diversum, ut significat Aristot., 4 Meteor., cap. 10, et patet in vino albo et nigro. Respondetur, Aristotelem exponi posse de diversitate accidentali, ut volunt Richard., dist. 11, art. 3, quæst. 5, ad 4; et Soto, dist. 9, q. 1, art. 3; et est verisimile, quia sola illa differentia coloris non satis indicat substantialem diversitatem, cum alias sit maxima in effectibus et aliis proprietatibus similitudo, ut inter homines etiam videre licet. Secundo, etiamsi sit substantialis et essentialis diversitas, ad rem theologiam non refert; satis est, si absolute et simpliciter vinum sit; secus vero est de aliis vinis pomorum, malorum granatorum et similibus, quæ non solum specie differunt a vino vitis, sed quodammodo etiam genere, et non sunt vina simpliciter, sed secundum quid; et idem iudicium est de omnibus aliis liquoribus, qui ex herbis aut aliis fructibus conficiuntur.

3. Succus uvarum ut sit materia Eucharistia esse debet maturus. — Secundo dicendum est, ut succus, seu liquor uvarum sit sufficiens materia, necessarium esse, ut sit maturus et ex uvis expressus, atque in sua substantia permanens. Ratio est, quia hæc sunt necessaria, ut illud sit vinum simpliciter.

4. Primum corollarium. — Unde fit primo, agrestam non esse materiam, ut D. Thom. et omnes docent, et habetur in missali Romano, in defectibus missæ, et ratio est, quia non est vinum; imo evidenter differt ab eo specie physica, quantum ex effectibus et qualitatibus

licet colligere; quidquid vero de hoc sit, satis est, non esse materiam potabilem, per modum vini, sicut supra proportionaliter de massa dicebamus.

5. Secundum corollarium. — Succus uvarum non potest intra uvas consecrari. — Unde fit secundo, succum uvarum, prius quam exprimatur, non esse materiam, nec posse in ipsis uvis consecrari; ita Cajet. et Soto, qui hoc modo exponunt D. Thom., et idem tenet Richard., dist. 11, art. 2, quæst. 4 et 3; ratio esse potest, quia ille succus, quamdiu est in uva, est continuus aliis partibus, unde videtur specie differre a musto jam expresso. Sed hoc satis incertum est, tum quia quidquid sit de continuatione, tamen sicut sanguis est in venis, ita idem ille liquor, qui postea est extra vitem, videtur prius formaliter contineri intra illam; cujus signum est, quia licet non exprimatur, nec comprimatur uva, sed tantum pungatur seu dividatur folliculus uvæ, statim distillat illum liquorem, qui jam tunc erit sufficiens materia consecrationis. Alia ergo ratio reddi potest, quia quamdiu liquor est contentus in uva, non est per se præsens; unde si dicatur, *hoc est*, vel, *hic est sanguis*, in rigore per pronomen illud, non significabitur liquor, sed uva; sed hæc etiam est difficilis ratio, quia si mustum includatur in vase undique clauso, nihilominus est materia consecrabilis, et mediante continente est sufficienter præsens, et potest per pronomen hoc designari. Responderi tamen posset, illud jam esse per se sensibile, et per accidens esse occultum, et similiter jam esse totum separatum, quod propriissime signari potest per modum totius, licet in alio contineatur. At vero liquor clausus in uva semper est per modum partis, et per se latens, et quasi insensibilis. Tertia ratio est, quia ille liquor pro illo statu non est in forma potabili, et ideo nec est vinum, nec materia potus, quod est necessarium in materia calicis, seu sanguinis, juxta illud: *Bibite ex hoc omnes*. Et confirmatur, quia licet mitione aquæ non sit de necessitate hujus sacramenti, tamen de necessitate materiae calicis est ut sit apta ad hanc mitionem, seu ut illi possit aqua misceri; at vero liquor inclusus in uvis non est hujusmodi. Quæ ratio traditur in cap. Cum omne, de Consecratione, dist. 2, ex Julio Papa, et Concil. Brachar., et Wormacien., ubi talis consecratio prohibetur, sicut prohibita fuerat in sexta Synodo, can. 28 Trullano, et habetur in cap. Didicimus, eadem dist. Non desunt

tamen, qui ex prædicta ratione ultima, et ex dictis juribus colligant, hanc materiam esse quidem prohibitam, non tamen omnino invalidam. Hæc vero sententia nullo modo est probanda, quia revera ille humor in uvis non est materia potabilis, sed pars cibi cujusdam, et licet prædicta jura expresse non dicant, hanc materiam esse invalidam, id tamen supponunt, et ideo reprehendunt nonnullos, qui illa uti volebant ad communicandum populum. Imo in dicto canon. Trullano, non solum vera consecratio in uvis facta, sed etiam cæremoniæ quædam benedictio uvarum fieri prohibetur, aut distribui simul cum corpore Domini, quamvis permittatur, ut uvarum primitiæ in gratiarum actionem offerantur, et separatim benedicantur, et convenienti tempore distribuantur.

6. Mustum expressum ex uvis est sufficiens materia, non tamen conveniens. — Tertio sequitur, mustum ex uvis maturis expressum esse quidem in rigore sufficientem materiam, non tamen convenientem, donec sit purum et satis concoctum. Ita D. Thom. hic, et omnes; unde in cap. Cum omne crimen, de Consecr., dist. 2, dicitur, si necesse fuerit, posse botrum in calice exprimi et aqua misceri et ita confici. Ratio vero est, quia illud in substantia est vinum, licet accidentaliter non omnino perfectum, nec purum, quia nondum separatus est aqueus humor, flos et fæx, quæ per decoctionem vini secerni solent, ut late Plinius, lib. 23, a principio. Unde Aristotel., 4 Meteor., c. 10, mustum vocat vinum recens, et Isidorus, lib. 20 Etymol., c. 3, dicit, esse vinum e lacu statim sublatur. Unde in Scriptura sacra vinum solet appellari mustum, Act. 2: *Musto pleni sunt isti*; Isa. 49: *Quasi musto sanguine suo inebriabuntur*. Item ex effectu constat, quia mustum est calidum, inebriat, et ab intrinseca ac propria vi purificatur, et concoquitur, seque ad perfectum statum reducit. Ergo signum est substantialiter esse vinum; quoad usum vero revera est materia potabilis et interdum bibitur. Ergo nihil illi deest, quod sit de substantia sacramenti, nam illa permistio vel imperfectio, quam habet ante plenam decoctionem, sufficit quidem, ut peccatum sit in illo conficere, et quidem ex suo genere grave, tum propter Ecclesiæ consuetudinem, tum propter indecentiam et irreverentiam; non tamen est simpliciter contra substantiam sacramenti, quandoquidem præcipua substantia illius potus est vinum; sicut si perfectum vinum aliis rebus